

Daid ben Natan Grinhu

Sefer Tehilim

Franfur de-Main: Bi-defus ha-Adon Maias Andre, Nidpas e-nigmar ha-yom yom 1, 17 Elul 472 li-f. . [1712]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn864215681>

Druck Freier  Zugang



R. DAVIDIS KIMCHI
**COMMENTA-
 RIUS**
 IN
 PSALMOS
DAVIDIS,

opera & studio
DAVIDIS GRÜN HVT,
Rabini Francofurtensis.

Cum Præfatione
JOH. JACOBI SCHUDT
 G. MF. CR.

Francofurti ad Mœnum,
 A. O. R. 1712.



נעה

JOH. JACOBUS SCHUDT,

Gymnasii Mæno-Francof.

CON-RECTOR

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.



Agnopere falluntur aliosque fallunt, qui Judæorum Scripta, & in Sacram V. T. Scripturam composita Commentaria, quasi *εἰς τὴν ὑγιᾶς* nihil sani, nihilque operæ pretio & labore dignum in iis reperiatur, alto supercilio ac *μυκτηρισμῶς* despiciunt, nonnisi fimeta. Augiæ stabulo impuriora, hic offendi crepantes, ex quibus vix, ac ne vix quidem, gemmula quædam, infinito, qui collocandus, labori minime comparanda, eruatur; nonnisi *γαυῶδες μύθος* aniles & ad colum effœtarum muliercularum relegandas *fabulas*, oculo prudentis lectoris indignas, inepta omnia, nec micam salis in iis occurrere.

Sed hi fere erunt, quibus nonnisi sua placent, illorum more, qui patrium limen nunquam deserentes domestica tantum, spretis aliarum nationum moribus

moribus, laudant evehuntque, qui tam infulsi & infelices rerum, quas ipsi non capiunt nec assequuntur, iudices existunt; plerumque enim, qui ne extremis quidem labiis Hebræorum literas gustarunt, nec à limine salutarunt, multo minus in adyta Sanctæ istius Linguæ aut, quæ illa consignata sunt, Doctorum Hebræorum mysteria, penetrarunt, scilicet, ut excusatius, quæ nosse debebant, ignorare videantur, generoso, ut putant, contemptu, quæ à Judæorum traduntur Doctoribus, rejiciunt.

Enim verò æqui rerum æstimatores, qui Judæorum Scripta oculis lustrarunt, nec nihil temporis in iis triverunt, aliud & limatius ferent iudicium.

Non ibimus inficias, referta esse fabulis & figmentis, rebusque ineptis Scripta Judæorum, sed non omnia, nec omnium; Sunt qui deposito quasi proprio genti fabulandi mentiendique studio, desipere & ineptire desierunt, unde nonnulli cæteris parcius fursures tritico muscerdamque piperi miscent. Quoties vel minima se occasio offert de gloria gentis suæ differendi, miram in modum se in suas suorumque laudes diffundunt, thraſonicæque gloriationis nec modum nec finem invenire queunt, morè illis frequenti, qui ab alto honorum, quibus majores cluerunt, fastigio dejecti in abjectis vivunt sordibus, qui, cum in se, quod extollant, non habeant, aliena genitorum majorumque merita, laudes, resque præclare gestas crepant. Nec diffitendum, Judæos, quoties in oracula de Messia, ipsorum de terrena hujus Regis felicitate hypothese contraria, incidunt, vel plane cæcutire, vel perverse ea depravare, pervertere, & obtorto, quod

dicitur, collo in sua placita trahere, ne majorum quidem & antiquiorum Doctorum, quorum magna alioqui inter ipsos est veneratio & auctoritas, habita ratione, tantummodo ut sectæ suæ errores pro virili sua incrustent, & argumentorum, quæ Christiani ipsis objiciunt, vim eludant atque effugiant, quod dissimulare non potuit ex præcipuis illorum Antistitibus R. Salomon Jarchi, vel, ut aliis dicens potius a Patre videtur, Isacides. Commentar. in Psal. XX, 1. in Buxtorfii Bibl. fol. p. תש"ו. 2. col. 1. lin. 1. scribens: **דבותינו פתוהו ער**
סלך המשיח ונכון הדבר לפותרו עוד ער
Rabbi nostri exposuerunt eum (Psal. 21.) de Rege Messia, sed res certa est, (conducit) exponere eum de Davide ipso,
NB. propter responsionem hæreticis,
 i.e. ut Christianis eo melius responderi possit. Nec conviciis abstinent illorum Doctores, quibus Christianos eorumque sacra, pro odio, quo nos persequuntur, plus quam Vatiniano, proscindunt, unde ipsis **גוים** gentiles, **אדום** Edomai, **מונים** hæretici, **אפיקורוסין** Epicurei, **כופרים** infidèles, **עורים** **ערלאן** præputiati, **כותיים** Cuthai, **עורים** cæci, **טמאים** impuri, **כלבים** canes, dicimur, de quibus illorum maledictis prolixius egit Hottingerus L. 1. Thef. Philol. C. 1. Sect. VII. p. 49. ff. Sed ne hic pari omnes furore aguntur, & recte callidiore, præsertim postquam Christiani illorum Scripta evolvere cœperunt, rem suam agunt, fictis peregrinisque aliarum gentium nominibus nos pungentes, quæ omnia vir bonus in his Christiani

stiani nominis hostibus *ἀποβυσσος* minime probabit.

Verum enim vero cum tam faciles & indulgentissimi sumus in condonandis illis naevis, quibus Græcorum ac Romanorum scripta ethnica scatent, cum non offendamur impura illa spurcitie, fictis idolorum nominibus, idolomania, superstitione quibus illorum libri scædantur, cum æquo feramus animo convicia, quæ impio ore in Christianos nonnulli Gentilium Scriptores evomunt; cur non & Judæorum Scriptis aliquid condonandum? cur soli Hebræorum Magistri vapulant? Cum ex illorum Scriptis plus emolumenti ac commodi Theologiæ Scripturæque S. scrutatori industrio sit expectandum, quam ex Gentilium commentis.

Demus enim, ipsos in quibusdam de Messia oraculis cœcutire; demus, ipsos nonnulla de Messia loca, ut hypothesei faveant, temere pervertere; Id tamen nec in omnibus fit oraculis, nec ab omnibus illorum Doctoribus, hinc sapissime testes sunt veritatis, & domestico testimonio contribules suos, a recto veritatis tramite aberrantes, confundunt, quandoque Statuæ sunt Mercuriales, viam aliis, quam ipsi non calcant, ostendentes; *Certe, ego id ex eis (Rabbinis) didici, ut sæpe monitores super veritatis, etiamsi ipsi interim in tenebris & erroribus versentur: Sicut & Bileam filius Israël benedixit, & prospera ex Spiritu DEI prophetavit, errorem autem suum & futuram interfecionem prævidere non potuit, scribit seculi sui Efras, Sebast. Münsterus Præfat. ad Lector, in Biblia Hebr. Lat. in fol. Ex Judæorum Commentariis plerique nostrorum Interpretum multa hausere & in u-*

sum suum transtulere, hinc Theologos illos, qui Philologiae callent mysteria, optimos esse Interpretes, Wolffg. Frantzi, Joh. & Pauli Tarnovii, Mart. Geieri, Abrah. Calovii, Aug. Varenii, Sebast. Schmidii, Aug. Pfeifferi, Joh. Bened. Carpovii, Joh. Henr. Maji, Andr. Riveti, Jac. Altingii, Joh. Cocceji, Joh. Henr. Heideggeri, aliorumque exemplo cernimus.

Quam insignem usum Christianis Rabbino-
rum praestent Scripta, prolixius docuere Theod. Hackspanius peculiari Tractatu quem R. Lipman-
ni Nizzachon adjunxit Norimb. a. 1644. in 4. Seb.
Münsterus peculiari Praefat. ad Biblia Hebr. Lat.
in fol. Basil. A. 1534. Hottingerus L. I. Theol. Phil.
C. II. Sect. VII. p. 243. ff. & in Primit. Heidel-
berg. Disp. III. p. 67. ff. Joh. Leusdenius Philol.
Hebr. Mixt. Dissertat. XVI. p. 113. ff. Id certum
est, Judaeorum subsidio nos carere non posse, si ul-
tra vulgus in V. T. sapere velimus; accuratam illi
Linguae Hebr. habent notitiam, omnia vocabula
scrutantur, in significationes & emphases solerter
inquirunt, phrasas & loquendi formulas solicite ex-
cutiunt, inter se conferunt, viamque ad sensum li-
teralem indagandum perspicue monstrant. Non
loquor de vulgo Rabbino-
rum hodiernorum, cum
veteribus minime comparandorum, sed antiquio-
res innuo, AbenEfram, Levi Ben Gersom, Mo-
sen Bar Nachmann, Mosen Bar Maimon, Saadia
Gaon, Bechai, Salom. Jarchi, Dav. Kimchi, Isaac.
Abarbanelem, Salomonem Ben Melech & horum
similes. Siquis Astronomum subtilem audire cu-
piat, adeat AbenEfram, si antiquitatum omnium
peritissimum, evolvat Maimonidem, si Interpre-
tem

tem accuratum, consulat Kimchium, si insignem Philosophum & prudentem politicum, perlegat Abarbanclem;

Quodsi de Stylo dicendique, qua utuntur, ratione pronuntiandum, obscurum, impurum, nimisque concisum Stylum, cum nimio fabularum studio, ut in R. Sal. Jarchi fastidimus, ita purum & Stylo Scripturæ proxime accedens dicendi genus in Mose Maimonide æstimamus. facilem purumque scribendi modum in R. Dav. Kimchi magnificimus, copiosam vero, floridam, fluidamque, & cum Livii facundia comparandam R. Isaaci Abarbanelis eloquentiam in deliciis habemus, atque hujus viri acumen ingenii aciemque judicii magnopere admiramur. Nihil utilius, nihil magis necessarium in hoc Studiorum genere unquam prodiit, quam aureus ille R. Salomonis Ben Melech Commentarius Literalis in V. T. מכלל יופי dictus, in quo vis ac emphasis, significatio, constructio, variatio, anomalia omnium vocum ac phrasium difficiliorum, dubiorumque resolutio accuratissima occurrit, ut ad sensum Scripturæ literalem, Grammaticæ investigandum, nihil commodius reperiri possit, quem librum si quis latina toga indutum cum textu Hebraico ad latus posito imprimi curare vellet, næ ille utilissimum, & auro carius ac pretiosius susciperet opus, immortalem reportaturus laudem, cum de omnibus Scripturæ amatoribus optime meriturus esset, non enim omnibus datum atque concessum est, tantum temporis, ut sine cortice natare discat, Rabbinorum scriptis impendere, sunt quos æris defectus, temporis angustia aut Doctorum penuria ab illis literis, etiam invitos, revo-

cat, unde nec ab omnibus, ne Theologis quidem, accuratissima harum literarum notitia posci jure potest, est nunc quasi vastum quoddam pelagus Theologiae Studium, & tam multa, tamque varia iis, qui se ei commiserunt ac alta petunt, necessario discenda offeruntur, ut vix spatium concedatur Rabbinoꝝ & Talmudistarum reconditis abstrusisque commentariis cognoscendis animos occupare. Facile enim nomen gradumque Theologi tueri, qui illorum sensa non assequitur, ac satis est divinarum scripturarum volumina in lingua primigenia intelligere, & cum variant Interpretes, ex multis discrepantibus translationibus, advocato in consilium Grammatico Rabbinico, meliorem eligere posse, ex vero pronunciat B. Dn. Wagenfeilius in Prolegom. ad T. J. S. p. 85. Talibus versione latina R. Sal. Ben. Mel. Commentarii Grammatici, omnibusque in universum Theologis ac Philologis, consuleretur; Non enim cum vener. Dn. Ezardo olim Praeceptore nostro indignamur. Hebraeorum Scripta latine transferri, cum abusus usum (quem insignem hic esse B. Wagenfeilius Prolegom. ad T. I. S. p. 96. seq. docet) tollere minime debeat; quaestionem ipsam, an *Judeorum Scripta in Latinam Linguam transfundere fas sit?* prolixè ventilavit B. Tenzelius Colloq. Menstr. a. 1694. Mens. Septembr. p. 740. ff. Rectius certe opinaturi essent fastuosi & inflati illi Judaicorum Scriptorum contemtores, si vel unum aut duo folia in Kimchio aut Abarbanele debita attentione perlegissent, in Abarbanele, quem Hugo Grotius in Annotatis ad L. I. de J. B. & P. C. II. n. 6. elogio *illustrissimi* mactat, fortasse quia ex regia Davidis familia Abarbaneles se ortos gloriantur,
Stylum

Stylum copiosissimum ac suavem eloquentiam, verborum ornatum, rerum copiam, iudicium acre, *ⲁⲓⲛⲉⲓⲃⲉⲓⲁⲅ* summam, elegantemque sua consignandi methodum (nam *ad Christianorum fere imitationem suos Commentarios conformavit*, iudice Buxtorfio in Consil. de Studio L. H. p. 165. n. 18.) nemo non, qui ipsum inspicit, admiratur atque extollit.

Omnibus vero, meo iudicio, si quid ego iudico, tironibus R. Dav. Kimchii scripta longe sunt preferenda, stylo utitur puro ac jucundo, nec conciso nimis nec prolixo, rebus, quas tractat, prudenter accommodato, & cum Grammaticæ legibus genioque linguæ optime conveniente, non toties contra Grammaticæ linguæque peccat analogiam, quoties alii quidem ex Judæorum Doctoribus, vel ex turpi ignorantia, vel, pari huic vitio, supina negligentia, impingere ac hallucinari solent; in Scripturæ explicatione *שמות & פשוט sensum* *literalem* accurate, ut *כפרש & בעל פסוק* investigat, vocum vim, emphasin, structuram & usum collatis Scripturæ locis solícite eruit, fabulas parce admodum inspergit, plerumque sicco plane pede eas præterit, aut lectorem, consueta ipsi formula, *על דרך משל, יש דרש, במדדש* talia figurate & per allegoriam esse capienda, monet, nec tam acri in Christianos, quando illos vellicat carpitque, stylo invehitur, quam solet Abarbanel *ⲉⲥⲟⲛⲟⲃⲉⲥ* & capitalis Christiani nominis hostis, quem suum ac gentis exilium, quo anno 1492, ex Hispania ejectus solum vertere iussus est, variæque, quibus cum contribulibus suis affectus est, injuriæ mirum in modum exacerbarunt; ut *Kimchius* merito *Phoenix* aut *aquila Interpretum Judaicorum*

audiat, quem potiori jure, quàm Judæi ob Scripturæ & Talmudis explanationem R. Salomonem Jarchi fabularum studiosissimum, solent, **אשר יצוהו פרשנתה** *Interpretem Legis* nominare possumus, fatetur id Buxtorfius ad R. Jac. Abendana, cum novam Michlal Jophi editionem Amstelodami a. 1661. daret, in Epistola, illi editioni præfixa, scribens: R. David Kimchium hætenus præ reliquis omnibus fere ab illis (Christianis) laudatum & commendatum nosti, quod literalem sensum evoluisse contentus, sensus seu altiores, seu profundiores scrutandos alius reliquerit. R. Dav. Kimchii **ס״ס** Libro Radicum seu Lexico, & **ס״מ** Libro Michlol seu Grammaticæ sua debent, quotquot postea ex Christianis & Judæis in conscribendis Lexicis ac Grammaticis Hebr. defudarunt; antea nobis laudatus R. Sal. Ben. Mel. Commentarius Grammaticus Scripturæ S. nihil fere aliud est, quam Observationes ex Kimchii Libro Radicum & Commentariis collectæ, & in seriem ac ordinem librorum Scripturæ S. redactæ; quanti faciant Judæorum Sapientes Kimchium, R. Sal. Ben. Mel. in **הקדמה** seu *Præfatione* in **ס״מ** testatur, quod posteriores Sapientes de Kimchio proverbialiter dicere consueverint **אם אין קמח אין תורה** *non est farina (Kemach, unde Kimchi quasi farinae)* i. e. necessaria vitæ subsidia, ibi *non est lex* i. e. legis studium & notitia, uti Buxtorfius id explicat L. T. col. 2053. & in Florileg. Sentent. Hebr. p. 153. quam Sententiam R. Elassar Ben Afsaria ex **פרקי אבות על-דרך הרצח** Cap. III. n. 17. desumptam ad nomen ejus facta) transferunt, non esse periti-

am

am legis, non posse Mosis Legem exacte intelligi sine Kimchio ejusque in Scripturam פירושים seu Commentariis, de eo passim alio quoque pro-verbio dicere solent אין קטח בלי קמחי non est farina sine molitore. Floruit autem Kimchius, referente R. Dav. Ganz in צמח דוד p. m. 139. Sub finem seculi XII. circa a. c. 1190. in Hispania, patrem nactus est R. Josephum, fratrem R. Mosen, viros doctissimos, quorum in Scriptis frequentem noster Kimchius & honorificam injicit mentionem.

Inter cetera ejus Scripta, si palmam non obtinet, certe nulli cedit, פירוש על תלים Commentarius in Psalmos, nobis Christianis eo magis commendandus, quo luculentiora continet de Messia testimonia, nec reticet, ubi antiqui Hebræorum Magistri de Messia loca Davidica intellexerunt, veluti circa finem Psalmi II. ad initium Psalmi XXI. XLV. LXXII. XCIII. unde non possum satis mirari, cur optimus harum literarum aestimator & promotor Joh. Buxtorfius Bibliis suis Majoribus non infererit Commentarium Kimchii in Psalmos, qui ex optimis ejus libris est, cum aliis Scripturæ libris ejus Explicationes ac Commentationes adjecerit; nec causam hariolari aut divinare potis sum, cur Dan. Bombergius ex posteriori Bibliorum Hebræicorum, Commentariis Judæorum illustratorum, editione hunc Kimchianum in Psalmos extruserit Commentarium, quem priori editioni, a. c. 1515. cæptæ & a. 1517. Venetiis ad finem perductæ addiderat. Optima hujus in Psalmos Commentarii editio est, quam & Buxtorfius in Biblioth. Rabbin. p. 296. præfert, quæ a. c. 1542. Isnae in Polonia opera Pauli Fagii in fol. minori prodit,

in qua plura extant, quam in altera, quæ a. c. 1596. castrata Venetiis in 8. lucem adspexit, omiffæ quippe sunt, præter alia, in hac Veneta editione, ut & in Amstelodamensi, quæ ante paucos annos, teste Hadr. Relando in Prolegom. ad Analecta Rabbin. Amstelodami prodiit, Objectiones Kimchii adversus Christianos ex Psalmis petita, תשובה seu *Responsiones* dictæ, quas Isnensi editioni Fagius in fine adjecit, quasque postea Theodoricus Hackspanius, Professor Altdorfinus celeberrimus, in fine Sepher Nizzachon R. Lipmanni a. c. 1644. Norimbergæ in 4. nobis dedit, jam olim Gilberto Gernebrardo dignas visas, quas speciali libello, Parisiis a. c. 1566. in 8. edito, refutaret; Alia, quæ in libris Kimchii impressis contra Christianos omiffa, ex MSCtis codicibus restituit Anglus doctissimus Eduardus Pocockius in Porta Mosis Notis Miscell. Cap. VIII. p. 321. ff. Cum vero utraque editio antiqua, Isnensis & Veneta, rarior esset, nec facile obvia, neque recentior Amstelodamensis ad nos perlata, a multis tamen Commentarius ille, ob insignem libri præstantiam, anxie quæsitus sit, rem certe orbi literato utilissimam gratissimamque præstitit R. David Grünhut Rabbinus Synagogæ Judicæ Francofurtensis ad Mœnum doctissimus, vir tranquillis moribus mitique ac tractabili ingenio præditus, & præter gentis suæ consuetudinem humanus, nobis, quod ex Trifolio nostro p. 388. & Clariff. Dn. Buxtorffii, amici nostri suavissimi, Catalectis Philol. Theol. Tmem. 249. p. 311. apparet, ex longo jam tempore admodum familiaris, dum librum prelo denuo subjecit, corrigendi onus ipsemet, quanquam plurimis distractus negotiis, in

in se suscepit, eoque tam feliciter defunctus est, ut non charta tantum pura & candida, typoque satis nitido, ornatus, sed a mendis quoque, quibus antea scatebat, plurimis purgatus prodeat liber; unicum est, quod dolemus, quod Isnenfis ipsi editio non fuerit ad manum, hinc Venetam adhibuit, **השוכות** vero Kimchianas ex commemorata Hackspanii editione ut adderet, ipsi auctor suasorque sui, verum modeste se excusavit, id sibi non licere per **פרנסים** *adiles* (ut vocantur) Judæorum, metu, ne ægre id ferant Christiani, addens illas **השוכות** adjectas esse editioni R. Lipm. **ס"ט** & R. Isaac **חוק אמונה** Amstelod. ante paucos annos. Ejus operam vero & studium, ob manifestum, qui inde sperandus est, fructum non possumus non magnopere commendare, dum ejus beneficio ac sudori acceptum ferimus, vili unius floreni pretio comparandum, librum huc usque perrarum utilissimumque, quem doctissimi Philologi hominibus nostris, cum primis harum literarum tironibus, tam ob puram Styli elegantiam, tum ob Grammaticæ (nam **אל'עצו'י** Kimchius Judæis **סדקדק** *Grammaticus*, & **שר המדקדקים** *Caput ac Princeps Grammaticorum* audit) peritiam, tum ob rerum præstantiam, quam diligentissime commendatum volunt, hinc Clariss. Leusdenius in Alloquutione ad Lect. in Jona Illustr. Sect. III. incipiat, inquit, *Studiosus a Kimchio: quia facilior est aliis, & Stylism Biblicum, quantum fieri potuit, stricte observavit, contra regulas Grammaticas & Syntaxeos non impiegit, quemadmodum Sarchi sapissime fecit. A fabulis Talmudicis est multo alienior aliis.* Idem in Philol. Hebr. Mixt. Dissert. XVII. p. 125. *Stylus est elegantif-*

gantissimus & comptus, regulas Grammaticæ ubique stricte observans. Jubet quoque celeberr. Buxtorfius in Consil. de Studio L. H. Sect. III. n. 5. p. 115. initium fieri à R. D. Kimchio, qui simplicissimus est & purissimus, & n. 8. p. 157. à lectione R. Davidis Kimchii, qui Grammaticus est, poterit etiam accedere ad Aben Esram, qui Philosophus est & Astronomus præcipue; ab Aben Esra ad Salomonem, qui Theologum agit &c. Fateor, Grünhutiū nostrum melius Christianorum, cum primis in Philologia tironum, Studiis fuisse consulturum, si textui Hebræo per columnas ad latus versionem latinam Janvierii apposuisset, sed hoc ab homine Judæo, cætera quidem non indocto, latinæ tamen linguæ, quam Judæi odisse ac per contemptum a rasis Monachis, eam in Sacris adhibentibus, לשון גללוחים *Leschôn Gallochim linguam rasorum* vocare solent, ignaro, quique in editione hæc suorum potius contribuiliū, miro studio & iteratis scæpe petitis (consumtis fatali ante biennium fere incendio illorum exemplaribus) editionem ab ipso efflagitantium, rationem habuit, expectari non potest; Ambrosio Janvierio autem, qui Versionem Latinam Commentarii hujus Kimchiani in Psalmos a. c. 1666. Parisiis in 4. edidit, vix condonandum, quod textu Hebræo omisso latinam tantum versionem nobis dederit, ut nec illud in eo exousandum, quod תשובות seu *Responsiones* ac *Objectiones* Kimchianas adversus fidem Christianam, ex Commentatione ejus in Psalmos collectas, in versione sua omiserit, quas Fagii, quæsum se fuisse in fine Præfat. testatur, editio Isnæ (non in Germania ut Janvier scribit, Isnæ Poloniz, ut videtur, cum Isenaco Germaniz confundens) im-

Impressa in calce adjectas habet; Prudentius utroque, Grünhutio & Janvierio, egit Belgicum Philologiæ decus, vir doctissimus, Adrianus Relandus, qui tironum studia philologica promoturus, in utilissimo *Analectorum Rabbinicorum* libro, quem Ultrajecti a. c. 1702. in 8. in lucem emisit, decem priores Davidis Psalmos, Commentario nostri Kimchii illustratos, & versione latina Janvierii instructos exhibuit, laudabile Fagii imitatus exemplum, cujus studio iidem decem Psalmi, Kimchii explanatione & latina versione illustrati a. c. 1544. Isnæ in lucem prodire.

Illis vero, qui majores in his literis profectus fecere, quique cibum solidiorem jam concoquere possunt, utilissimam præstitit operam noster Grünhutius, dum orbi literato librum diu desideratum, multis votis frustra expetitur, & ob exemplarium penuriam ac raritatem fere amissum, summo studio emendatum nitidumque, suis & cognati sumtibus excusum, feliciter (mille enim & trecenta dedit exemplaria) restituit, quem librum, ob insignem usum, nostræ non indigum laudis, ab ipso rogati, non potuimus non auditoribus nostris, quin & omnibus, harum literarum cupidis, de meliori nota commendare, qui majorem tamen, ne quid dissimulemus, laudem à nobis reportasset, si textum Davidis accentibus instructum (præter Atnachum enim & Syllukum, duos præcipuos Imperatores, nullum ibi offendes) exhibuisset, quod omni modo ipsi, si ante libri impressionem consilium nobiscum communicasset, suavissemus, idque eo magis, quod Venetam editionem, qua ipse usus est, accentus in textu servasse constat; verum Judæi nulla, aut certe exigua,
accen-

accentuum tanguntur cura, & Christiani defectum hunc, adhibito & inspecto in Bibliis Hebr. Davidico textu, facili negotio supplere poterunt.

Nos, ut φιλεβραϊος magno cum fructu hoc libro utantur, ipsam ex eo, quam Christiani profitemur, Sacrorum Christi veritatem magis magisque adstruant, robovent atque confirment, ex animo precamur.

יהי כן רצון יהוה אלהינו
: אמן ואמן :

*Scriebam Francofurti ad Moenum Calendis
Octobris A. O. R. 1712.*

